...annes

Icon heroicae virtutis.

ICON HEROICÆ VIRTVTIS,

Generoſo ac Magnanimo Iuueni,

PERILLVSTRIS AC MAGNIFICI DOMINI,

D. FRANCISCI à DEMBIANY DEMBIENSKI,

Vexilliferi Terræ Cracouieñ. &c. &c.

INCLYTO FILIO,

IOANNI DEMBIENSKI,

auitæ paternæq́ue gloriæ hæredi fæliciſs.

DVM

Excellentiſs. & Adm̃. Rñd⁹ D. Matthæus Caſimirus Woiáſzowic, Artium & Philoſoph. Doctor, Parochus Gremboſzouieñ. Præbend. q; primum Deo Opt: Max: offerret Miſſæ Sacrificium,

A

M. IOANNE CYNERSKI RACHTAMOVIO, Coll. Min: Ord. Eloq. Profeſſ. debitæ gratulationis ergò, d. c. q.

CRAC. In Officina Franciſci Cæſarij. A. Dñi 1639.



QVid Virgo rigidæ tergo supereminet Vrsæ?
Hoc victrix pietas porrigit auxilium
O dulci quoties Patriæ DEMBIENSCIA *virtus,*
Immanes Moschos flexit in obsequium!
Rumpe moras Iuuenis fortunatissime, auitâ
Tu pietate potens, tutus vbiq; manes.

Franciscus Cæsarius,
Stud: Eloqu.

ICON
Heroicæ Virtvtis.

QVandoquidem in hoc nobiliſsimo lectiſsimorum Hoſpitum confluxu, primam eamque gratiſsimam Deo Opt: Max: obtulit hoſtiam, Præceptor Tuus longè fauentiſsimus Generoſe ac Magnanime IOANNES; non poſſum illi tantā fælicitatem, tamq; piam & auſpicatam honoris acceſsionē, intimo ex animo non congratulari. Eſt enim hæc, quam conſecutus eſt ille dignitas, terris auguſtior, Cælo ſublimior, beatis illis & à corpore abiunctis mentibus, diuinior: quam & Deus ipſe glorioſus, ampliſsimis beneficijs ornauit, & ab hominibus vt in eximia veneratione haberetur ſanctiſsimè ſanciuit. Nec verò quiſquam aliter arbitrari poteſt, niſi ita impius ſit, vt nullam vim cæleſtem, Numenvé Diuinum exiſtimet; quem neque veræ Religionis auctoritas, neque cæleſtium myſteriorum ſanctitas, nec Cæli ſignorumque motus, nec viciſsitudines rerum at-

que ordines moueant; neq; ipse denique communis orbis populorumq; consensus, qui sacra, qui ritus, qui ceremonias, & ipsi sacrosanctas habuerunt, & omnibus suis posteris, tanquam per manus colendas & obseruandas transmiserunt. Nam quoad longissimè potest mens mea respicere, spatia antecedentium sæculorum, & antiquitatis memoriam recordari intimam, inde vsque repetens, video in Sacerdotum dignitate, ac honore amplificando Reges, Principes, Imperatores, optimarum legum, & pietatis studiosissimos, plurimum semper laborasse. Quamobrem Magnifici Tui Parentis, & in capiendo consilio diligentiam, & in collocando beneficio iudicium, quis non admiretur? qui id munus, quod quidem habebat charissimum, ardentissima voluntate, animo promptissimo, fauore summo, huic vni potissimum, contulit Tuo Præceptori; quo non illum solum tanto præmio pro laboribus amplissimis dignissimum iudicauit, sed etiam Tibi certissimum monstrauit modum, quo honorandus esset Præceptor Tuus, & Sacerdos. Sic enim ille Deo clementissimo annuente, iustus vtriusque possessor est honoris: vt Tu tandem sis Nobilissime IOANNES, officij vtriusque particeps, atque hæres benedictionis. In hac igitur communi amicorum lætitia, & Hospitum gratissimorum applausu, ICONEM Hæroicæ Virtutis, Tibi potissimum offerendum esse putaui: vel vt Te Maiorum Tuorum Magnificique Tui Parentis, tot ac tantarum

cogita-

cogitatio virtutum teneat (quarum Tu simillimam in Te imaginem effingere debes conari) vel vt ea commemoratione rerum gestarum, animum Tibi meum propensum & candidum declarare posſim. Quo quidem Tibi munere, nullum neq; gloriosius, ad generis dignitatem, neq; fructuosius, ad præsentium studiorum rationem, potest contingere. Neque verò suſpicionem assentationis apud Te, sed occasionem quæro veritatis: neq; ostentationis crimen apud Hoſpites Clariſsimos, cùm DEMBIENSCIANAM, deprædico pietatem extimesco. Antiqua enim hæc Vestræ Nobiliſsimæ Gentis, & à prima origine deducta hæreditas est; antiquum Ius Iustitiæ, Fidei, Religionis, boniq; publici promouendi: antiqua gloria rectè factis non intumescere, nec aculeis inuidiæ commoueri. Viguit hæc indoles in Maioribus Vestris, præstantiſsimis illis, & omni laude Clariſsimis Heroibus; viget etiamnum in Magnifico Parente Tuo; in Te quoque vt par est vigebit, & in dies, maiora & pulchriora simul cum ætate maturiori, accipiet incrementa. Talis nimirum sis Magnanime IOANNES, qualis maximè cupis videri; vt quanto Maiorum Tuorum meritis illustrior es, quanto ab omni fumo fucoque vanitatis remotior: tantò sis Indole generosior, tantò imitatione virtutum clariſsimarum studiosior: cum probè ſcias omnem simulationem non esse diuturnam. Lyſander ille Cyrum Regem, & eius pleraque omnia contemplatus hoſpes, felicem exclamauit,

mauit, cuius Virtuti fortuna coniuncta esset: porro ego beatum Te dixero, cuius indoli, non ista nescio quæ fortuna, sed hoc tam augustum nomen virtutis, cum sanguine simul insitum est. Vbi syncerae Religionis reperitur candor, vsu publico, & maximis rerum experimentis innutritus, non ibi veræ prosperitati, potest locus non adesse. Omnia illic tranquilla vt reperiantur est necesse, omnia quieta, omnia intimæ solidæque plena voluptatis; adeò vt etiam possesiones amplissimæ, fluxorumq; bonorum abundantia (in qua summam imperitum vulgus fælicitatem collocat) nequaquam illi posit præponi, tantum abest comparari. Pietas est basis fælicitatis humanæ, pietas singulare rebus in aduersis perfugium, in periculis asyllum, in prosperis successibus certissimum fundamentum. Hac florent integerrimæ Resp. prosperrimè, pax seruatur gratissima diutissimè, grauissima bella conficiuntur fælicissimè, victoriæ denique gloriosissimæ, & trophæa pulcherrima facillimè statuuntur & parantur. Cogita, & mente circumspice Suauiss. IOANNES, quantus sit Maiorum Tuorum splendor, ob ingentem animi magnitudinem, quanta laus, ob eximiam in rebus agendis prudentiam, quantum ob flexanimam eloquentiam decus: verumtamen primas sibi partes vbiq; vendicat & exposcit Candor, probitas, Religio, fides. Neque enim veri libertatis propugnatores, neq; satis probati legum vindices, neq; omnino fortes, & magnanimi Pa-

mi Patriæ defensores, boniquе communis, tam prouidi & fideles custodes, Maiores illi Vestri fuissent, nisi sacrosanctam Catholicam Religionem, in omnibus Reip. negotijs ducem habuissent auspicatam. Vellem equidem scientiam rei militaris, fortitudinem, felicitatem, cæterasq; illustres Maiorum Tuorum prædicare virtutes, quibus foris hostibus terribiles, domi Ciuib⁹ amabiles, in subitis casibus vtiles & expetendi, vbique grati & suspiciendi ac gloriosi fuerunt; at quis aut lucis clarissimæ splendorem augere, aut præstantissimæ Domus Tuæ, excellentissima facinora, exiguis artis verborumque cancellis circumscribere potest? Quod sæculum, quæ fuit vnquam ætas, non plena laborum, non plena meritorum, non plena gloriæ *Dembienściorum*, non plena bonæ famæ? cuius lux insuperabilis, non solum Orbem nostrum Sarmaticum, sed etiam vicinas gentes ac nationes illustrauit! Quæ verò posteritas tam ingrata fuerit, vt impia obliuione sepelire possit illos *Bernardos, Petros, Iacobos,* DEMBIENSCIOS, illustri virtute, consilio, auctoritate, præstantissimos Patriæ Ciues? Quis satis cumulatè & luculenter prædicare poterit aureum illud os, illam Sarmatiæ flexanimam Suadam, VALENTINO DEMBIENSKI diuinitus instillatam? quam per omnes gradus honorum amplissimorum in Rep Polona circumduxit: atque dum esset *Supremus Thesaurarius*, & *Summus Cancellarius Regni*, & *Castellanus tandem Cracouień.* dubijs & asperis in

rebus

rebus magnificè, fideliterque comprobauit? Toties ille grauissimus Orator, velut alter *Pericles*, pro legibus, pro libertate, pro communi bono propugnando & promouendo, in Comitijs, & Senatu Polono, ita feruenter & animosè tonabat, fulgurabat, fulminabat, vt omnis eius Oratio, etiamnum, in mutis illis literarum monumentis, ingentem legentibus pariat admirationem & stuporem. Vide, & quam diligentissimè perpende, disertissimum nostrum Roxolanum *Orzechouium* in annalibus; vt intelligas, quanta vis verborum, quod genus Orationis & facultas, quod sententiarum pondus, quæ denique consilia, eloquentissimorum Virorum, in illo maximo totius Poloniæ conuentu apud Leopolim de Rep. habito fuerint; profectò non dubitabis affirmare, nostram illo tempore Sarmatiam, gloriosum illud X. Oratorum Græcorum (quod Plutarchus tantopere suspicit) Concilium, & maiestate virorum, & Orationis copia, & rerum dignitate omnino superasse. Retinuerunt hæreditarias postea Clarissimi & eloquentissimi Patris virtutes, non degeneres Filij, *Iacobus Czorstineń. Stanislaus Chęcineń. Andreas, & Ioannes Luboń.* Capitanei: retinuit *Erasmus* Venerab. Cap. Cracouien. Decanus, Eloquentiæ vim atq; grauitatem, quam in Legationibus ad exteros Principes reddidit illustriorem. Quis illius Senatoris cognationes & affinitates, cum Illustrissimis Familijs, *Saphranciorum, Goluchouiorum, Lanckoroniorum, Buźiniorum,*

Sielni-

Sielniciorum, *Reiorum*, longa feliciq́ue ſerie, in filijs & filiabus ſatis fœliciter recenſent propagatas? Quis *Iacobo Dembienſcio* in hoc diſtrictu Cracouień. morum grauitate, candore, conſilio præſtantior? quis *Nicolao & Sebaſtiano* duobus intimis Fratribus, pietate, Ciuium optimorum amore, & familiaritate fœlicior? Quod ſi hæc Togæ paciſq; ſatis intelligis illuſtria fuiſſe ornamenta, illaque cruenti Martis decora deſideras, quibus Polonum nomen illuſtratum eſt, inſpice longe lateque patentes crudorum Moſchorum regiones, illaſq́ue gentes locis diſsitas, multitudine infinitas, moribus barbaras contemplare, atque adeò numera prælia ſi potes acerrima, congere victorias nobiliſsimas, collige ſpolia opima, trophæa pulcherrima, quæ *Augusto* & *Stephano* regnantibus, de illis hoſtibus decerpta ſunt perpende, profecto fortiſsimi bellatoris *Matthæi DEMBIENSKI*, virtutem, fœlicitatem, rerum geſtarum magnitudinem, & ardentiſsimam in patriam pietatem, muti etiam campi, ſanguine hoſtium imbuti, arces à perduellibus vindicatæ, propugnacula ſeruata, fluuij ſuperati, magnificè Tibi prædicabunt. Hic *Racoborium* & *Affelinum* doloſis in Cineribus oppida ſepulta iacuerunt: illinc *Sancelinum*, *Orlinum*, *Bebelinum*: alia ex parte *Kieſcinum*, *Lenuartum*, *Aßkaradum* propugnacula vel reſtaurata, vel hoſtibus erepta, *Diembień-ſcianæ* virtutis, glorioſe præfixa & erecta habuerunt monumenta. Verum ego hæc omnia, vt per ſe magnifica &

fica &

fica & illuſtria, commodiori reſeruo prædicanda temporis opportunitati: illa me ad ſe ſe vocant, quæ propria ſunt hodiernæ Solemnitatis inuitamenta, & quæ Tuam excitent indolem generoſam, ad prouidam virtutum paternarum imitationem. Magnum enim eſt, crede mihi Suauiſsime IOANNES, diuini fauoris bonum, tantis maioribus, tantoque Patre naſci; ſed maius indole dignum illis videri; maximum denique in luce Reip. virtutibus florere vigereque ſimillimis. Nam ne videar palponem apud Te agere, ſic (prout viri ſapientes ſentiunt) accipe; hæc nominum & imaginum claritas, quantacunque illa fuerit niſi per veram ſolidamque comprobetur virtutum imitationem, noſtra certè non eſt. Gloria nominis non naſcendo quæritur, ſed viuendo. Nimirum, ſi per manus tradi claritas poſſet, quàm clarus futurus eſſet Scipionis Africani filius, intelligis. Sed amare illum pater potuit, illuſtrare non potuit: infinitam ſuæ lucis Ecclypſim paſſus in filio. Ingentes certè diuitiæ, poſſeſsiones, facultates, cæteraque fortunæ bona fluxa ſunt, & euanida; ſola virtus æterna & immortalis habetur: quæ (*vt ait Tullius*) in tempeſtate ſæua quieta eſt, & lucet in tenebris, & pulſa loco manet tamen, atq; hæret in patria, ſplendetque per ſe ſemper, neque alienis vnquam ſordibus obſoleſcit. Quare Tuo fixa ſemper maneant hæreantque in animo illuſtrium Maiorum Tuorum Magnificique Parentis virtutes meritaque, in Patriam & Eccle-

ſiam

ſiam Chriſti pulcherrima & maxima, vt verum Te *Dembienſcianæ* Gentis hæredem poſteritati comprobes. Poſteritas Tibi ſit in oculis Magnanime IOANNES, cui Tuis de moribus, & de rebus geſtis, ſine fuco, ſine ſimulatione, liberrimum iudicium relictum eſt. Non equidem delinques in Patriæ bonum, ſi Tibi in mente bona meritorum fama, in pectore hæſerit æternitas, & huius author Deus. Sic omni æuo præſtantiſsimi Heroes Tui fecerunt, qui magnitudinem meritorum magnificentia, magnificentiam vera pietate metiebantur. Hoc illis ex fonte ampliſsima bona promanarunt: Dei imprimis Opt: Max: gratia ſingularis, atq; benignitas, vitæ ſalus, agrorum fertilitas, rerum agendarum proſperitas, fama, decus, immortalitas. Hac virtute toties, vitam ſupra humanam conditionem erexerunt, quoties non luxu, non faſtu, non proteruiâ; ſed Comitate, beneficentia, fortitudine certarunt: quoties magnitudinẽ animi manſuetudine, rigorem Iuſtitiæ æquitate, rerum abundantiam moderatione temperarunt: hac virtute in anxietatibus ſolatium, in rebus ſecundis decus, in pertinacibus fortunæ iniurijs perfugium inuenerunt; hac denique virtute omnia pulcherrima conciliarunt ſibi & animi & corporis (quæ quidem à viris Illuſtribus haberi poſſunt) ornamenta. Quid hac hæreditate ſanctius, quid excellentius, quid illuſtrius cogitari poteſt? quam qui fuerint conſecuti, non calamitatum tempeſtates grauiter moleſteque ferrent, non ampliſsimo vir-

tis proemio, apud ſeram poſteritatem carebunt, gloria. quæ breuitatem vitæ poſteritatis memoria conſolatur: quæ efficit vt abſentes adſimus, mortui viuamus, & cuius deniq; gradibus homines in Cælum videntur aſcendere. Hanc hæreditatem Tibi Generoſe IOANNES Magnificus Tuus Parens ab Auis & Atauis deductam, & acceptam, ingenuis præceptis inſtillat, exemplis docet, auctoritate promouet. Dati enim ſunt Tibi, beneficio Illuſtrium Parentum, generoſi à natura virtutis igniculi, qui ſi adoleuerint in Te, magnum bonæ famæ ſplẽdorem & generi ampliſsimo, & Tibimet ipſi comparabunt. Hoc Tuus amæno tinctus rubore pollicetur vultus, hoc patrius fulgor oculorum, hoc frons rotunditate quadrata, ſupercilia venuſta, labia florida, auriculæ breues ingenium ſolers notantes, hoc deniq; tota lineamentorum compoſitio, non incertis probare videtur argumentis. Ipſa verò quàm diligens, quàm ingenua, quàm grauis educatio eſt, quàm vigilantiſsimis ſemper monitoribus occupata? Noli vocis nonnunquam aſperioris obſtupeſcere rigorem, paternus eſt. Pica quidem plumis inſternit nidum, vt pulli mollius cubent; ſed Aquila generoſa ſpinis obarmat, vt altius volent. Qui inter fomenta titillationesq; tepuerunt, illos tandem leuiſsimus flatus auræ proſternit, frigus adſtringit, diſſoluit æſtus, & eneruat. Degeneres Sarmatæ nunquam cum rigidis Scythis in acie, ſæpius cum ingentibus Scyphis, in gynæceo certabunt. Tempeſtiue igitur para

tur para

tur para Te luci, para Reip. theatro, para Ciuium Conſpectui, para gloriæ: atq; adeò memento Vielopolſcianam magnificentiam, & ſplendorem, robore *Dembieńſcianæ* magnanimitatis tueri. Vtrumq; Tuum hæreditarium bonum eſt, & (quod ego magnopere deſidero) ſi vti noueris, Tuum decus immortale. Vides, & agnoſcis quanta ſit auctoritas Magnifici Tui Parentis, inter omnes omnium hominum ordines, quos Sarmaticus orbis continet: conſideras labores grauiſsimos, curas ſollicitudinesq; maximas, vigilias, contentioneſq; acerrimas, conſilia nobiliſsima, pro communi Reip. bono promouendo: perpendis tot vias, tot itinera, tot ſumptus, quos ille toties impendit Iudex æquiſsimus in Areopago Sarmatico deputatus: hæc omnia Te mouere & excitare debent, vt velut alter Iulus, per veſtigia Magnanimi Æneæ paſsibus olim æquis inſiſtas. Quantā ille propter Te tuumq; in bonis literis profectum coluerit humanitatem, quantam liberalitatem & munificentiam exercuerit, vel iſta præſentis feſti Solennitas magnificè comprobauit. Nimirum Tuus Præceptor fauentiſsimus, tantum gratiæ, tantum beneficiorum lucratus eſt, apud pium, & verè Magnificum Tuum Parentem, quantum vix vnquam optare potuit, ſperauit certe nunquam. Iam tandem iura ſilent, prudenti conſilio temperata; lites officioſa charitate compoſitæ conticeſcunt. Recognoſcit Lycæum Sarmatium ſimul in vno Profeſſore proſperum laborum ſucceſſum, & in be-

nefactore beneficentiſsimo, magnificam liberalitatem recognoſcit. At Tu qui intimorum maximè particeps es ſecretorum Domus Tuæ, recognoſcis prouidam Patris Tui liberalitatem; & in acceptis refers, munificentiſsimæ Matronæ, piæ olim memoriæ *Conſtantiæ Bużyńſka* de Mirow, Proauiæ Tuæ, quæ Sacerdotem moribus, ætate, eruditione grauiſsimum Rn̄dum. P. *Sebaſtianum NVCERINVM*, gratia ſingulari fouit, beneficijs erexit, in conſpectum hominum produxit, bibliotheca clariſsimis authorib⁹ refertiſsima, omniq; ſupellectili domeſtica, ornauit & inſtruxit, in exteras inſuper nationes ſumptibus expediuit. Hic eſt ille NVCERINVS Neſtor Sarmaticus, & alter Phænix; hic eſt ille NVCERINVS: *Mellitiſſimus innocentiorum,*

Prudentiſſimus eloquentiorum
Oratorum; & amor tuus, tuumq́;
Inter delitium laborioſas
Muſas: fonte ſacro leuauit, qui te &
Permulſit docili admonitione
Ætatem teneram Tuam benignè.

Vt Tu præclarè Tuis triſtibus Phaleucis, quos in funere illius, emiſiſti in lucem, meminiſti. At niſi tam liberalem & munificam Matronam diuinitus ſibi datam, NVCERINVS habuiſſet; Eccleſia Theologo, Cathedra Doctore, populus tam pio, tamq; diſerto Oratore caruiſſet Nucerino. Facilè erumpit in lucem & conſpectum hominum, benè paratum naturâ ingenium,

quod

quod excellentibus beneficijs Mæcenatum excitatur & erigitur: quibus tamen si destituatur, primo vix humi serpit, deinde situ & squallore obruitur, tandem egestate sepultum, in tenebris iacet, languet, euanescit. Nimirum tenera admodum sunt eruditorum virorum ingenia, vel ita mollia & delicata, vt nisi in summis fauoribus Principum vigere non posʃint: vel denique eiusmodi, vt nullum sui contemptum ferre posse videantur. Senserunt hoc omnes omnium sæculorum Viri sapientes, qui vel liberalitatem Mæcenatum suorum disertisʃimè probabant, vel ingratã diuitũ tenacitatẽ penitus improbabant. Summæ quidã auctoritatis Vir, aliquando interrogatus, quid nautis opus esset, respondit ventis; rursum quid colonis opus esset, respondit pluuia; tandem quid Illustribus Viris, respondit Oratoribus & Pòëtis. Et meritò mea quidem sententia. Nam vt nautas & colonos omittã, quo per immortalem Deum, auctoritate graues, meritis conspicui, virtute præstantes in libera Rep. Ciues indigere maximè possunt, nisi immortalitate: quam non pecunia, non potentia, non rebus gestis comparare possunt, si fuerint Oratorum vel Pòëtarum auxilio destituti. Quot putas extitisse Sarmatas domi militiæq. Clarisʃimos, quorum, quia doctis Scriptoribus caruerint (antequam hoc esset Lycæum excitatum) nulla extat apud posteritatem laus, neque memoria? At nunc quàm grauiter sæpe gemit & fremit, & indignatur, laboriosa industria, quæ

ne apud

ne apud Amphictyonas quidem, iustam meretur approbationem: vbi Mitiones minimè mites Philargiriâ, Pamphili cænodoxiâ laborant. Est hæc insita vis, Magnifico Tuo Parenti Generose Iuuenis, vt facili negotio bona ingenia dignoscere ac diligere, & languentia posit atque velit excitare. Vt enim simul ille Vir vultu Venerabilis, aspectu grauis, moribus & sapientia Spectabilis NVCERINVS, hunc Magnifico Tuo Parenti commendauit virum, subitò ita illum dilexit, vt etiam admiserit non in ædes tantum suas, sed etiam in animum. Habuit enim sicuti meminisse Te arbitror, ille arbiter ingeniorum præstantissimus, per multa certissima non vulgaris Sapientiæ documenta; sed illud maximum atque singulare, quod ex lineamentorum faciei compositione, tacitè colligebat, quam virtuti iustam daturus esset approbationem. Cùm præsertim neque grauitas morum cum vecordia cohæreat, neq. pulcher animus in deformi corpore conquiescat. Placuit igitur illi viro, sermo grauis & apertus, mens serena & sobria, vultus placidus, oculorum frontisque virilis conformatio, gestus, incessus, mores minimè suspitione notandi placuerunt, Quid plura? non solum illum dignum Præceptorem Tibi, sed etiam in beneficio successorem sibi designauit. Qui enim placuisset Venerando Patri, non potuit prudentissimo Tuo Parenti non placere. Hinc beneficia beneficijs cumulata, officia vltro citroq. collocata, fauor, gratia, candor,

indu-

industria probata & perspecta, ad hoc vsque tempus integra & illæsa permanserunt. Equidem vera gratia nescit modum, ignorat pietas mensuram. Non alit beneficentiam propter nundinationem, non liberalitatem propter ostentationem exercet: non magis propter homines, quàm propter DEVM, ardentem promouet charitatem. DEVS equidem Opt: Max: eam mentem Magnifico Tuo Parenti inspirauit, & indidit, qui diligenter Pastorem gregi cogitauit, anxiè quæsiuit, fæliciter inuenit, liberaliter dotauit; citiusque illi beneficia contulit, quàm quisquam cogitauit. Ergo bonus piusque Præceptor Tuus, ita tanta tamque illustria beneficia recepit, vt esset coram Deo Sacerdos, & æternùm obligatus Prædicator. Audiui enim toties illius illas voces, quas frequenter abreptus admiratione beneficiorum, identidem repetere solebat. Quicquid erat Tibi pretiosum Magnifice Mæcenas, mihi obtulisti, quia filium meæ curæ fideiq; credidisti: & simul cum Filio, charissima quæq; munera concessisti. Quicquid fortunæ meæ tenuitas desiderabat, abundè subministrasti: desiderium meum illustri fauore, gratia, pietate expleuisti: auctoritate fidem, humanitate spem, beneficijs omnium opinionem, & expectationem vicisti, superasti: totum denique Te Magnifice Benefactor, ad meas vitæ rationes augendas, & illustrandas effudisti. Quicquid rerum possideo Tuum est: quicquid habeo teneoque receptum est à Te. Quicquid

vicini

vicini vident, amici suspiciunt, hospites mirantur: quicquid ædificia, & ipsi parietes atque fundi continent, totum id Tu mihi sponte obtulisti, etiam non petenti. Obseruasti illud *Petri Aldobrandini* Cardinalis Symbolum, qui roganti amico, quodnam beneficium existimaret maximè gratum, illud quod non esset petitum, aut precibus extractum, respondit. Notasti prudentis esse benefactoris elogium, qui velut ille Eutropius

Nil negat & se se vel non poscentibus offert.

Sciuisti regia, & exemplo Tuo expresisti liberalitatis exempla, quæ æternis literarum monumentis celebrantur. Repetijsti è veteri memoria *Ludouici XI.* Franciæ Regis notandam vocem, qui in homines sortis tenuioris, admodum beneficus & liberalis erat, quod horum precibus vitæ diuturnitatem conciliari sibi confideret. Proposuisti Tibi ad imitationem *Alphonsi* Regis Aragoniæ magnificentiam, atque pietatem, qui quod vltro non rogantibus beneficia conferret monitus ab amicis; Hercules etiam respondit, non rogatus laborantibus subuenire consueuit. Principem autem in dando facilem esse oportere; cuius etiam liberalitas cum Sole posit comparari, quod is non rogatus omnia radijs suis illustret. Ergo viue felix, viue fortunatus, & longissimos in annos sanus, & incolumis, vige & vale: qui in me *Aldobrandinos, Ludouicos, Alphonsos,* beneficijs Tuis expresisti. Hæc illius mens, hæ voces,

ces, hæc vota, hæc desideria fuerunt repetita toties & expressa. Nefas enim esset profectò, vt vbi aræ templa, campi, ædificia, recentibus beneficijs vocalia sunt, tantorum possessor bonorum obmutescat. Etenim cum omnibus virtutibus se affectum esse cupiat, tum nihil est quod malit, quàm se & gratum esse & videri. Et beneficium dare, & gratiam referre, per se res expetendæ sunt, & gloriosæ. *Equidem nihil tam proprium hominis existimo*, (ait Tullius) *quam non modo beneficio, sed etiam beneuolentiæ significatione alligari: nihil porro tam inhumanum, tam immane, tam ferum, quam committere, vt beneficio non dicam indignus, sed victus esse videare. Quanquam dissimilis est pecuniæ debitio & gratiæ. Nam qui pecuniam dissoluit, statim non habet id, quod reddidit: qui autem debet, æs retinet alienum: gratiam autem & qui refert, habet: & qui habet, in eo ipso, quod habet refert.* Sed & illud quod ait Mimus certissimum est. Beneficium accepit qui digno dedit. Erit igitur hoc Sacerdote & exoratore apud Deum præsente, fælix Vestra Domus, fortunata Familia, beata cohors amicorum. Nam ita liberaliter, quam diuinitus consecutus est, sparget vbiq; benedictionem, vt in agris vbertas, in animis amænitas, in corporibus salus & sanitas vigeat incorrupta. Quæ quidem beneficia cùm agnoscamus, & gratulemur Vobis adesse singula, tum hoc anno superiori quo grauis afflixerat Poloniam annonæ sterilitas, in

agris paternis copiosam mirati sumus vbertatem. Satis liberaliter fænus suum reddit Possessori tellus, qui munificentiam iustā exercet in Sacerdotes: qui decimas propinat sponte, auget hilariter, exhibet libenter. Nimirū quo rarior hac tempestate virtus hæc est, eò inter sui cultores fælicior: & quæ non solum iusto possessori, sed etiam posteritati, certam firmat spem, auget honorem, pollicetur beatitatem. Felices nimium decimas, quarū videlicet fructus, non in decennium perdurant, sed in omne sæculum prorogantur. Nouimus equidē, beneficio Sacrarum literarum, quam fortunatum habuerit Pater gentium *Abrahamus* tantæ pietatis successum: qui subito vt hostes vicit, spolia opima decerpsit, gratulationes Regum vicinorum audiuit, decimas Melchisedecho Sacerdoti sponte & alacriter obtulit & dicauit. At quis ille fuerit Sacerdos, (qui sine Patre sine Matre natus esse perhibetur) hactenus ignoramus omnes. Magnum equidem huiusce rei Sacramentū est, magnum mysteriū: atq. eiusmodi, quod homines humi strati & abiecti, penetrare nō possunt. Sudarunt in istius inuestigatione secreti, sancti & auctoritate graues viri: neq. tamē satis cohærētia sibi, monumētis literarū consecrarunt. Magna maiestas est (quos authores nominat D. Hieronymus) *Irenæi, Hippolyti, Eusebij Cæsariensis, & Emiseni*: tum & *Apolinarij quoque, & Eustathij* quem primū vidit Episcopum Ecclesia Antiochena. Horum iudicium magno consensu sequuntur cuncti eruditi. Etsi enim suas singuli

guli

guli prodant rationes, tamen diuersis argumentationibus conuenerunt in vnum. Quid verò hac de re D. *Athanasius* affirmet, vnicuiq. liberum iudicium relictum est. Sed neq. Liber *Euagrij* missus ad D. Hieronymum conquibusdam eruditis & diuino Spiritu plenis viris, contemnendus videtur: quo is docet *Melchisedecum* non hominem ex hominibus genitum, sed diuinioris naturæ fuisse, maioremque homine, ac digniorem certe, qui tanto benedixit Patriarchæ. Enimuero ita res est. Profligauerat prælio Reges impios *Abrahamus*, & iam victrices reducebat copias. Ecce verò tum temporis in itinere obuium se illi tulit, qui semper præsens adfuit Filius Dei, specie humana, habitu Sacerdotis Regisque indutus: eiusque animum faustis vocibus ad omnia ingentia erexit. Etiam panem vinumque fesso dedit, ne quid hac quoque parte desideraret ille Principum debellator. Cognouit quod sub imagine latebat, coluitque mente *Abrahamus* mysterium. Statimque Mesiæ, Summo Regi Sacerdotique, quem mortalibus olim datum iri intelligebat, præsenti præsens munera decimasque obtulit gratissimas. Ecquid causæ obsecro est, cur hunc Iustitiæ & Pacis Regem (quod Melchisedechi nomen, iuxta quorundam clarissimorum authorum interpretationem denuntiat) non credamus fuisse eundem illum Filium Dei, qui postea ad quercum *Mamre*, duobus comitatus socijs, *Abrahamo* apparuit, cibumq; cum illo sumpsit, adfuit vna in vnis ædibus, ac deniq;

 collocu-

collocutus cum illo est? Illa enim pietas, illa liberalitas illa grati animi significatio Abrahami, tanti fuit momenti, vt eam Filius Dei præoccuparet aditu suo, præsensque adornaret. Quorsum hæc Generose DEMBIENSKI? Nimirum vt intelligas felicem esse quæ cum Deo glorioso cohæret nundationem, felicem liberalitatẽ, quæ Dei gratia fideliter suscipitur & exercetur: quæ Tui Perillustris Genitoris virtꝰ est singularis. Quæ cùm ita sint, gaude tantis, tamque excellentibus Magnifici Tui Parentis virtutibus, & quas Tibi ad imitationem hæreditarias proposuisti dotes, cùm per ætatem licuerit maturiorem exemplo effinge; daque operam quam diligentissimam, vt Gentem Tuam opibus firmam, egregijs rebus gestis florentem, gloria abundantem, Tuis etiam meritorum accessionibus olim reddas auctiorem: vt quemadmodum Magnificus Pater Tuus pietate Abrahamum, ita Tu virtutis imitatione, & quæ inde sequitur Diuina benedictiône, exprimas Isaacum. Vale mi Optime IOANNES, & cogita Te esse *Dembieńscium*, id est Sarmaticæ Reip. Ciuẽ, Regni Pol. incolam, hæredem veræ libertatis: quod quidem eò studiosiùs feceris, si *Iconem Hæroicæ Virtutis* inspexeris, quem Tibi Maiores Tui omnibus virtutibus ornatissimi ad imitationem proposuerunt: quem Magnif. Genitor Tuus, exemplis illustribus effinxit atq; comprobauit. Tanta enim fuit semper *Dembieńscia* virtus atq; fama, tanta Tuæ gentis gloria, vt etiam Reip. guber-

naculis

naculis fuerint admoti Maiores, Regiũq; locũ tenuerint: quod in IACOBO DEMBIENSCIO Viro meritis, eloquentia, auctoritate Clarissimo, Regni Cancellario & Capit: Cracouieñ. regnante Casimiro Iagellonide, literarum monumentis comprobatum est. Quicquid igitur in vita cogitaueris prudẽter; quicquid feceris laudabiliter, quicquid ex literarum progressionibus laboriosè cõparaueris Tibi emolumẽti, totum id ad Dei Opt: Max: gloriam, Ecclesiæ decus, Patriæ præsidium conuertas. Nos verò Minores in Lycæo Iagelloniano Quirites, Numen sanctiss. supplices exorabimus, vt fælix, saluus, incolumis, ad Catholicæ Religionis ornamentum, Nobilissimæ Gentis incrementum, Mag: Genitoris Tui & Illustrium Amicorum solatium, longè maximum, in luce Reip. crescas, vigeas, efflorescas. DIXI.

VOTVM SACRVM

AD

Excellentiss. & Adm. Rndum D.

D. MATTHEVM CASIMIRVM WOIASZOWIC

Neomystam.

D. Hieronymus de vita Clericorum ad Nepotianum.

CLericus qui Christi seruit Ecclesiæ, interpretetur primo vocabulum suum, & nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur. Si enim κλῆρος Græcè, sors Latinè appellatur: propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est pars Clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, vt & ipse possideat Dominum, & possideatur à Domino.

DVM Tibi sacra Cohors sacros gratatur honores
Hæc Voiaßeui percipe verba mea,
Sit fælix & fausta Tibi quæ Numine dextro
Mutata est vitæ sors hodierna Tuæ.

Hac

Hac iter est cælo. Sacram contingere metam
Qui velit, hunc alia non licet ire via.
Ergo iam dubiæ spes, & fortuna, valebunt,
Cùm Dominus Tibi pars hæreditatis erit,
Illa Deo placuit, placuit Cleroq́ fauenti
Qui sancta Numen Relligione colit.
O nimium fælix, vitam concorditer æquis
Cuî sacer ordo piam dirigit auspiciis:
Fælix cuî pariter Deus atq́ Ecclesia fauit
Ille nouo dono, calculo at illa probo.
O qui nunc epulis animum populumq́ Sacerdos
Pascis, nos quoq́ nunc per Tua vota iuua.
Per Tua vota iuua, suspirat turba piorum
Hæc verba ingeminans, per Tua vota iuua.
Per Tua vota iuua miseros quoq́ peccatores,
Heu peccatores per Tua vota iuua.
Per Tua vota iuua, dū ferrum adamantaq́ frangat
Vox Tua, & elidat vi valida omne nefas!
Sic anima obturata foris, velut ariete crebro
Icta, diu tandem cædet aperta Deo:
Mentis & hæc cautes in agrum conuersa feracem
Culturæ referet fænora grata Tuæ.
Per Tua vota iuua, iuuenili in flore IOANNEM
Qui Patris est pullus, sed Tibi discipulus.
Per Tua vota iuua Dominum, Dominamq́ fauentē,
Et gnatam ingenuam per Tua vota iuua.

Ergo

Ergo magis, magis vsq; tona diuine Sacerdos,
Cantoresq; Tuos per Tua vota iuua.
Nā semper velut vrna liquens, pertusa, & inanis,
Sicca, & inexpleta, & nil solidi intus, alunt.
Quod faciunt tumidam ob deiectæ mentis Orexim
Sæpius vt noxas immemores glomerent.
Christe tuarum ouium PAN vere, piissime Christe,
Pro grege cui vitam ponere dulce fuit,
Suscipe quæ supplex tibi, vota refundit ad aras
Feruenti famulus pectore & ore pius.
Ille Tibi niueam casto cum corpore mentem
Ille Tibi vitam sacrat in obsequium,
Pro quibus officiis, & sancti pignore amoris
PANE Tuo Mystam, PAN bone, pasce tuum.
Pascet at ille gregem vigil atq; arcebit ouili
Prædatorem vrsum, carniuorumq; lupum.
Tu bone Pastorem Pastor benedixeris ipsum,
Pastori atq; gregi tu modo Christe faue.
Tu modo Christe faue, multam hospitibusq; salutem
Largire: & Ciues feceris incolumes,
Da pacem populo, bellumq; famemq; repelle,
Et pestem rigidam Styx quam inimica vomit.
Nos Tibi sat sani grates soluemus amœnas
Et dabimus gratum voce sonante melos.